



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Percvssio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

licet non satisfaciat Deo, satisfacit tamen ecclesie: ita quod non tenetur amplius reconferri de illis peccatis rite confessis, pro quibus data est penitentia, neque tenentur eandem penitentiam reiterare, sed potest cum alia Deo satisfacere. supra, Confessio sacramentalis. §. 10. infra, Satisfactio. §. quinto.

¶ **I**n ultimo vitæ, secundum Thom. in 4. sent. d. 20. quilibet peccator potest penitentiam peragere: quia manet in eo vsus liberi arbitrij, quo mediante Dei auxilio potest ad gratiam se quilibet disponere, quanquam talis penitentia sit valde dubia: secundum Augu. per e. quem penitet. de pen. d. 7. Ideo qui à dubio vult liberari, dum sanus & mentis compos est, penitentiam agat.

PERCVSSIO.

¶ **P**ERCVTERE aliquem, id est, verberibus affigere contra iustitiam, peccatum mortale ex suo genere est: quia & ei nocementum infertur, & iniuria. Si tamen percussio levis sit, & parua iniuria, propter imperfectionem actus erit venialis culpa. Quod si percussio fiat secundum iustitiam ab eo, qui auctoritatem corrigendi habet, ut à prælato, patre, iudice, vel huiusmodi, peccatum non est, nisi in corrigendo modum excederent, vel animo iniuriandi, & non ex charitate facerent: non tamen possunt mutilare, vel occidere, nisi sint domini alicuius perfecte communitatis, ut sunt principes civitatum, & huiusmodi, non autem princeps vnius tantum familiaris, vel collegij: ex Sanct. Thom. secunda secundæ. q. 61. a. 2.

¶ **C**LERICI in minoribus causa correctionis possunt verberari, etiam pro leuibus culpis, non autem in sacris existentes, nisi pro maioribus criminibus debent verberari. ca. cum beatus. 45. dist. & c. disciplina.

¶ **R**EGVLARES verberantur à prælatis iuxta tenorem suarum constitutionum, etiam pro leuioribus. citra tamen sanguinem. c. reprehensibilis. de appel. in fin. Intellige effusionem enox

mem: secundum Gul. ar. in cap. archie piscopatium. de rap. In huiusmodi autem correctionibus debet attendi consuetudo, quæ est optima legum interpretis: quia quandoque consuevit fieri percussio per prælatum, quandoque per alium de mandato ipsius, & coram. Vide Tab. ver. excommunicat. j. casu primo §. 7.

¶ **E**PISCOPO non licet aliquem proprijs manibus verberare. c. non liceat. 86. d. Alijs autem prælatis sic. d. 44. §. Salomon.

¶ **R**ELIGIOSI non debent verberari per laicos, nisi quando sunt incorrigibiles, vel aliter reprimi non possunt, sed per alios regulares vel seculares clericos. Quomodo autem, & pro quo crimine fiat degradatio, vide But. in cap. & si. de iudi. Silu. versic. degradatio. §. 4.

PEREGRINVS.

¶ **P**EREGRINI proprie, qui vadunt ad visitandum alienas ecclesias, vel sanctorum corpora, sunt sub protectione ecclesiarum. capitu. innouamus. de treu. & pa. & qui eos spoliant rebus suis, sunt excommunicandi. capitul. si quis Romipetas. 24. qu. 3. Nunc autem per processum cutis sunt excommunicati, qui peregrinantes Romam, & Hierusalem spoliant. supra, Excommunicatio 4.

¶ **R**ES peregrinorum sunt suorum hereditum, & debent eis restitui quando moriuntur, si commodè possunt inueniri, aliter qui capiunt animo non restituenti, mortaliter agunt. Si autem non possunt inueniri, vel non commodè possunt hereditibus restitui, quia sunt in longinquis partibus, vel esset opus magna expensa, vel huiusmodi, debet pauperibus erogari, non obstante statuto vel consuetudine in contrarium. secundum Host. Contra enim diuinam legem consuetudo non tenet, nec contra bonos mores.

¶ **Q**UOMODO peregrini possunt admitti ad ordines, & ad alia, si habent literas testimoniales sui episcopi, cuius sigillum sit notum: vide capit. cum secundum, de præben. & c. sopite. de cen.